



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Res à S. Ignatio Loiola Societatis Iesv Parente Gestæ

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniae, 1622

Iudæum verbulo mitigat. 215

urn:nbn:de:hbz:466:1-44900

215 QUANTUM IGNATIO contra inferos licuerit, haecenus est narratū. Nunc idem haud minori imperio hominum quoque animos regebat: adeò vt non volubili verborum copia, sed sanctioribus momentis contumaces facillimè flecteret; pectorisque nubes serenare, & mentium ærumnas ægritudinesque pellere crederetur. Isaacus quidam gente Iudæus, domi nostræ tantisper attinebatur, dum appositis ad fidem præceptionibus erudiretur. Is repente ceu in furorem actus, atque omnia alia malle professus, missionem postulabat. Sensere in eo retinendo, actum se agere ceteri: at consultus IGNATIVS, ad me prius, inquit, adducitor. Factum. Ibi tribus ad eum verbis, ISAACE NOBIS CVM MANE, hominè continuò in potestate habuit. Nam ille mutatus, ac longe iã alius, placidissi-

mè, dum Christi lauacro tingeretur, permanfit.

216 Ioannes deinde Paulus, IGNATII Socius, aliquādo vehementibus turbis angebatur, quas ob inanem peccati metum malus illi Dæmon conciuerat. Nullum misero ne respirandi quidem spatium suppetebat; & preces & corporis afflictationes nihil expedire: neque in sacrorum vsu quies inueniebatur. Eo accidit, vt sollicitus se ipse conficeret, & mortuo quàm viuo propior mæreret. Cōmunicauit eam ille rem cum IGNATIO: qui verbis non plus duobus otium menti omne reddidit, æstumque fluctuantium curarum sedauit.

217 Alius adhuc adolescens (quē, quod superstes est, nominare omitto) nescio quo metu perterritus, assiduè formidabat, & ad suammet ymbra de nihilo consterna-